



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive  
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,  
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,  
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

**Bosschaerts, Willibrord**

**Mechliniae, 1650**

144. De S. Vvhone Frisio S. Vwillibrordi in Collegio Traiectensi Discipulo ad  
primo Episcopo Osnaburgensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10958**

## DISSERTATIO CXLIV.

De S. Wihone Friso S. Willibrordi in Collegio  
Traiectensi Discipulo ac primo Episcopo  
Osnaburgensi.



Idimus dissertatione 96. de sacro Collegio Ultraiectino sub directione S. Willibrordi vixisse Gymnasia in quibus iuuenes ad Ecclesiam & Rem publicam aptabantur & non solum proeuctoris, verum etiam tenerioris ætatis ad pietatem & doctrinam formabantur. Inter hos hoc tempore viuente & regente S. Willibrordo numeratur S. Wiho natione Frisius, ac ut sentit Bernatdus Furmerius, patria Leowardiensis. Hic instar Samuelis Willibrordo puer oblatus sub eo Religionis & Doctrinæ rudimenta iecit, qui succendentibus annis in virum perfectum euadens talentum sibi à Deo concessum saluti hominum feruenter impendit, ut tandem à Carolo Magno Osnaburgensi Ecclesiæ primus Episcopus sit impositus. Quia de re ita Kranzius in Metropoli Saxonie lib. 1. cap. 2. Annus erat à mundi salute 780. cum Rex Carolus magna expeditione facta in Saxoniam, congressus est Wedekindo iam vires totius regni in armis ducente, ibi que dum acriter pugnatum diu esset, cessit fugiens Wedekindus. Carolus autem qui prælio supererant Saxones ea lege seruauit, ut Christi fidem cum Religione susciperent. Igitur in loco Osnaburga habitatoribus satis frequente, cum vicinam Wedekindi arcem iam captam imposito firmasset presidio, Ecclesiam exadificauit primam in

in prouincia Episcopalem, eique virum sanctum prefecit Wilonem,  
primum eius loci Pontificem, hominem gente & origine Phrisium,  
quod in ea gente per Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum ibi  
Martyrem, iam multi Christo credidissent. Cui de Prouincia prouen-  
tibus assignauit unde cum suo Clero viueret, ad confirmandos re-  
cens baptizatos insuscepta Christi religione. Egis vir sensatus pro-  
zelo sacrae Religionis, satis verbo insistens & opere, ut creditas  
animas & seruaret & multiplicaret.

Carolus Magnus numquam satis laudatus Imperator,  
cui magnam mentem animumque diuinum inspirauit  
Numen, cuique vicissim præcipius belli finis erat, Chri-  
stiani nominis propagatio, postquam Saxoniam subiu-  
gasset, in ea plurimas excitauit Ecclesias, inter quas E-  
piscopales non paucas: ut Osnaburgensem, Monasteri-  
ensem, Mindensem, Paderbornensem, Halberstadien-  
sem, Verdensem, Hamburgensem, Hildesheymensem.  
Diploma institutionis Episcopalis Osnaburgensis legitur  
apud Krantzum supra & Miræum Codice primo pia-  
rum donationum cap. 12. cuius aliquod fragmentum  
damus:

In nomine Sanctæ & individua Trinitatis Carolus Imperator Augustus, Romanorum gubernans Imperium, Dominus & Rex Francorum, nec non Domitor & Saxonum. Notum sit omnibus Sancta Ecclesia fidelibus, nostrisque presentibus & futuris,

Aaaa quod

quod nos ob nostra mercedis augmentum,  
VVihoni Episcopo Osnaburgensi & sua Ec-  
clesia, quam nos primam in omni Saxonia  
in honore S. Petri Principis Apostolorum  
& SS. Martyrum Crispini & Crispinii-  
ni cōstruximus, donamus quoddā nemus vel  
forestum inter hac loca situm, Farnewin-  
chel, Rustensteyn &c.

Insuper vero eidem Episcopo eiusque  
successoribus perpetuam concedimus liberta-  
tem, & ab omni Regali Imperio absolutio-  
nem: nisi forte contingat, quod Imperator  
Romanorum & Rex Graecorum coniuga-  
lia fædera inter filios eorum contrahere dis-  
ponant: tunc Ecclesia illius Episcopus, cum  
sumptu à Rege vel Imperatore adhibito,  
laborem simul & honorem illius legationis  
assumet: & ea de causa statuimus quod in  
eodem loco Graecas & Latinas scholas in  
perpetuum manere ordinavimus, nec cum-

quam

quam Clericos utrinque lingua & gnares de-  
esse confidimus.

Et ut hac Authoritas firmior habeatur  
& diuturnis temporibus melius conseruetur,  
manu propria subter ea roborare decre-  
uimus, & annulo nostro sigillari iussimus.  
Datum XIII. Kalendarum Ianuarij anno  
4. Christi propitio, Imperij nostri, 37. Reg-  
ni nostri in Francia, atque 31. in Italia.  
Actum Aquisgrani in palatio feliciter, A-  
men.

Nisi forte contingat quod Imperator &c. coniugalia fœderat in eas  
& Gracas & latinas scholas &c. Ambibat Carolus amicitiam  
& societatem cum Imperatoribus Græcis, miseratque  
superiori anno Iessen Episcopum Ambianensem & He-  
lingaudum Comitem Constantinopolim, qui procura-  
rent Coniugium inter ipsum & Irénem Græcorum Impe-  
ratricem. Verum Nicephoro Patritio interea Imperium  
inuadente, & Irene captiuâ in Lesbum Insulam relegata  
ad intentum non peruenit. Communicationem tamen  
& fœdus cum Constantinopolis Imperatoribus tenuit.  
Nicephori Legatos ad se venientes audit, & fœdus cum  
eo pangit. Ea propter desiderauit in Imperio suo Occi-  
dentali, viros Græcam linguam callentes, qui cum O-  
rientalibus loqui & agere possent, in eum finem institu-  
ens scholas in quibus Græca docerentur; quamquam si

Aaaa 2

mul

mul eum mouerit communis Ecclesiæ utilitas, cui non parum interest Orientales litteras nosse. Qui Ecclesiæ & scholis ab Imperatore ordinatis primus præficeretur, dignus inuentus est S. Wiho S. Willibrordi in Gymnasio Ultraiectensi olim alumnus. Probabile habeo plures Magistros ad scholas istas fuisse accitos ex Ultraiectensi Collegio vtpote viciniori, Republica, & Ecclesijs Saxonum omnino adhuc rudibus & impolitis ( ac vnde magis desiderasset Wiho, quam ex quo tantus prodierat ? ) vt Schola Osnaburgensis nō abs re filia Ultraiectensis vocari possit. Addit tamen hīc Crantzius: nouitatem Christianismi in populo necdum bene firmato, & crebras Saxonum ac diuturnas rebelliones hoc institutum ( Caroli Magni) intercepisse.

Nota hīc obiter, perperam quosdam ex hoc diplomate sumere, Osnaburgensem Episcopatum à Carolo Magno fundatum siue institutum fuisse anno 804. quo diploma dedit. Constat enim ex Crantzio plusquam viginti annis ante, Carolo Rege, nondum Imperatore, Episcopalem Cathedram ibi esse positam. Vide lib. 2. Saxonæ cap. 14. vbi bēc verba : *Cum iam antè diuīsis locis per Saxoniam Rex aliquot constituisse Episcopatus, in Osnaburga: in Salignstede, anno tandem LXXXVIII. Bremensem erexit Ecclesiam, ut &c.* Ex quibus verbis patet ante annum 788. Episcopatum Osnaburgensem esse constitūtum. vide ibidem cap. 23. Quinimo ex cap. 11. habeture eum esse constitutum circa annum 777. eundēmque extitisse primum in tota Saxonia, quod & diploma hic afferit. Accedit quod anno 804. grauis admodum ætatis fuerit Wiho, qui nempe viueniente S. Willibrordo scholas Ultraiectinas frequentauerit, vt non credibile sit tot grauatum annis, dicto anno à Carolo Osnaburgensisbus primnm datum esse Episcopum

D I S S E R T A T I O C X L V . 557  
pum, vbi inter feroceS SaxoneS omnia feruebant peri-  
culorum & laborum plena.

D I S S E R T A T I O C X L V .

De Egberto Archiepiscopo Eboracensi & Swi-  
berto Abate Anglo. Ostenditur ite-  
rum eorum confusio cum Egber-  
to Archimandrita & Swiberto  
Sancti Willibrordi Coe-  
piscopo,



Ac tempestate eximijs virtutum or-  
namentis eminebat in Northumbrię  
Regno V. Egbertus, frater Egberti  
Northumbrorum Regis, Episcopus  
Eboracensis septimus, & Archiepis-  
copus secundus, qui pallium Archi-  
episcopale, quod Paulinus vi hosti-  
litatis loco pulsus apud Rouecestriā  
diem obiens reliquerat, & successo-  
res repetere neglexerant à sede Apostolica recuperavit.  
De eo Malmesburiensis lib. 3. de gestis Pontificum An-  
glorum.

Hic omnium liberalium artium armarium, ut ita dicam, fuit  
& nobilissimam bibliothecam Eboraci constituit: cuius rei testimoniū  
idoneum aduoco Alcuinum, qui dixit in epistola ad Carolum Au-  
gustum: Date mibi exquisitiores eruditionis scholastica libellos,  
quales in patria habui per bonam & deuotissimam Magistri mei Eg-  
berti Archiepiscopi industria, & si placet excellētia vestra, re-  
mittam

Aaaa 3